TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE
DE
TUMORIBUS SCROFULOSIS.

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE
DE
TUMORIBUS SCROFULOSIS;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS CALVERT,

ANGLUS;

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

VII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1804.

PATRI OPTIMO

SEMPERQUE COLENDO,

GULIELMO CALVERT,

QUI

STUDIORUM FILII FRUCTUM

SUO JURE REPETERE

DEBET;

HAS PRIMITIAS

QUAMVIS LEVES,

GRATI ET PII ANIMI

PIGNUS,

SACRUM

STATUIT

ROBERTUS CALVERT.

VIRO SPECTATISSIMO,

ALEXANDRO MONRO TERTIO, M. D.

ANAT. PROF. IN ACAD. EDIN.

OB MAXIMA BENEFICIA

IN SE COLLATA;

HANCCE QUALEMCUNQUE

DISSERTATIONEM,

SUMMA OBSERVANTIA,

D. D. CQUE

AUCTOR.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

TUMORIBUS SCROFULOSIS.

CONSTAT inter omnes qui strumam accuratè descripserunt, hunc morbum præcipuè homines afficere, præditos tali temperamento, quale ex hisce notis externis dignoscatur: tenero corporis habitu, cute delicatâ tenui mollique, genis roseis, oculis cœruleis, plerumque amplis et protrusis, pupillis patulis et tunicâ scleroticâ margaritæ colo-

rem referente, capillis candidis, nitidis et mollibus, labroque superiore tumido. Hæc persæpè in iis quos morbus invadit, observantur. Nihilominùs qui plerisque signis carent, morbo haud prorsùs expertes sunt. Quamvis rarò in hominibus vulto obscuro, nigrisque capillis et oculis, morbus se ostendit. Contrà, crebrò fit, ut qui manifesta strumæ indicia produnt, nunquam reverà afficiantur. Quæ hoc malum indicant, nunc plerisque persuasum est, hæreditate tradi: et opinio e quotidiè observatis exoritur. Imprimuntur enim signa in vultus, et sæpè a patre ad natum planè transmittuntur. Ut hoc claram in lucem depromam, lectorem ad Doctoris Gregory prælectiones remittam, in quibus narratur, præclaram vultûs similitudinem a patre in prolem, et inde in omnes vici incolas, transiisse.

Non necesse est ad morbum inducendum, parentes ipsos affici, aut strumæ indicia præbere. Sæpè enim fit, ut avus solus, aut avia, propensionem

propensionem ad morbum nepoti injiciat; cùm parens purus videtur.

Morbus interdum, per unum seculum vel plura, in familia latet, imminens modò parentibus, tum denuò progeniem corripiens. Hoc accidit, (ut prælectiones citem Domini Russel), quia nulla vis corpori proclivo admota est, quæ morbum elicere valuit.

Struma sæpissimè ineunte ætate erumpit, quando indicia vel symptomata prædisponentia (ut vocem artis propriam usurpem) maximè apparent. Probè enim compertum est, plerosque liberos nasci candidè comatos, et hunc candorem per pueritiam manere, sed in compluribus sensim in colorem fusciorem, nonnunquam nigrum, mutari, simul ac adoleverint. Cutis prætereà infantum mollior et tenuior quàm juvenum; quod planè demonstrat morbum ex superioribus rebus pendere, et indicia mali rarò fallere.

CAUSÆ

CAUSÆ EXCITANTES.

Manere sub Jove frigido, præsertim post corpus calore fotum est, inter præcipuas scrofulæ excitantes causas recensetur. Itaque morbus longè latèque diffunditur, in illis regionibus, annique temporibus, quibus hæc sæpissimè obveniunt. Terrâ quâ degimus, cœlum autumno vereque varium est et mutabile. Quapropter, strumosi apud nos, his tempestatibus maximè laborant. Humor frigore conjunctus, ad morbum eliciendum multùm valet; quod simul demonstrat, cur struma potiùs tempestatibus, quibus seritur et metitur, quàm quibus calemus frigemusque, dominetur. Quum solita aëris temperies haud omninò aquam gelu astringit, frigus humorque simul urgent.

Etsi

Etsi aër, per æstatem, propter majorem calorem, plus humoris, minimè autem percipiendi, retineat, quàm in aliis anni temporibus; tamen nullum frigus tunc adest, ad cœlum nebulosum faciendum. Temperies quoque aëris æstivi, corporis calori propior et sensui gratior est. Hieme contrà, ambiens aër plerumque vapores glaciat, et siccitate vim frigoris temperat. Pro certo habetur, aquam citiùs aëre calorem transmittere. Aër itaque, quamplurimum aquâ saturatus, maximam facultatem caloris transmittendi exhibebit; et homines, quos aër vaporibus onustus circumfluit, multò magis cœli inclementiâ afficientur, quàm qui in aëre sicciore degunt. Inde manifestum est, scrofulam, temperie paulò leniore frigore glaciali, induci.

Ut constat, cœlum frigidum humidumque, plurimùm valere ad morbum inducendum; sic hæc pestis cernitur, gentibus tali intemperiei opportunis, præcipuè minitari, qualis regiones zonæ frigidæ proximas premit. Inde patria

tria nostra, cujus cœlum, ut ait TACITUS, "imbribus ac nebulis fœdum, nec cui asperitas frigorum adest," strumæ est valdè obnoxia.

Inter varias causas, quæ morbum excitant, ponamus debilitatem post alios morbos relictam; nempè post variolas, rubeolas, &c. MOSMAN tamen contendit *, scrofulam non magis his tribuendam, quàm cuivis alii vitio, quod vires ineuntis ætatis frangit, quale scarlatina, &c.; putatque strumam plùs illis morbis quàm his esse relatam, quia illi sæpiùs infantes invadunt. Hæc autem opinio haud rebus accuratè observatis comprobata videtur. Pueruli enim strumosi præ aliis in varia mala incidunt; attamen haud raro sine ullo discrimine convalescunt; donec variolæ vel rubeolæ erumpant, et utcunque leves hæ fuerint, scrofula nihilominùs se citò ostendit.

Evacuationes

* Vide MOSMAN *on Scrofula and Consumption*, pag. 21.

Evacuationes impeditæ quoque existimantur morbum inferre. Casus etiam externi, qui forsan, in hominibus haud morbo proclivis, aciem animi prorsùs effugerent, alicui corporis parti propensionem incutere possunt. Exercitatio nimis parca scrofulam promovet. Quapropter in civitatibus oppidisque, quorum incolæ in officinis versantur, et operibus sedentariis exercentur, struma persæpè reperienda. Aër impurus, pestiferisque effluviis corruptus, quoque causa excitans haberi potest.

HISTORIA.

HISTORIA.

Scrofula varias corporis partes, sed præcipuè glandulas lymphaticas et telam cellulosam, adoritur. Cùm glandulæ afficiuntur, plerumque eæ colli et capitis lateris sunt. Cùm tela cellulosa vitiatur, sæpissimè inter tendines, et juxta musculorum originem insertionemque, morbus insidet. Quo fit ut eum nonnunquam in metacarpio et summo pede conspiciamus. Notandum est, hæc magis quàm alia membra frigori esse obnoxia.

Morbus plerumque vernâ tempestate primùm se prodit. Tumores in cute hic illic eminentes, accuratè perspecti, reperiuntur esse parvi, mobiles subdurique nodi, paululum aut

nihil

nihil molestiæ afferentes, nisi asperè tractentur. In compluribus exemplis diu manent immutati; tum sensim e conspectu recedunt. Doctor CULLEN autem observat *, tumores vix ab ortu suo ad ver primum vel secundum pòst, mutari; tum ampliores stabilioresque evadunt. Cute colore purpureo infectâ, sensimque rubescente et mollitâ, fluctuatio interna tandem perspici potest. Summus tumor, colore subalbo induto, erumpit, et materiam fœdam per pauca parva foramina emittit. Tumor deinde subsidit, et vulnus, quod rima videtur fortuitò lacerata, sub reliquo pustulo deprimitur. Vulneris margines tenues sunt, subrubro ac nitente colore, minimèque inflammati. Hoc statu morbus, vulnere parùm mutato, aliquot menses immò etiam annos permanere potest: quamvis tumores prioribus similes, vel proximi vel remoti interim exsurgant, et eundem cursum persequantur. Cum tela cellulosa corporis extremi domicilium tumorum fit, to-

* CULLEN'S *First Lines*, § 1744.

ta manus aut pes sæpè omninò tumet, et liquor internus, foramina in variis locis erodens, defluit. Hæc foramina, propter liquoris gravitatem, imo tumore plerumque aperiuntur. Liquor primò emissus præcipuè ex pure communi constare videtur; copiosior autem parciorve evenit, secundum morbi sedem et pro inflammatione antè illata. Quoniam penè omnes strumosi tumores aliquantum inflammantur, haud dubitandum est, (si concedatur opinioni de puris origine nunc adhibitæ, quippe quæ omninò inflammationi tribuatur), materiem purulentam plerumque nasci *. In psois, quæ sunt prorsùs scrofulosæ, aliisque abscessibus internis, materies purulenta copiosissimè nasci videtur †. In tumoribus tamen propioribus cuti, Doctor HAMILTON affirmat ‡, paululum

* Vide HOME *on the Properties of Pus.*

† Vide HAMILTON *on Scrofulous Affections*, p. 35. 39. & 42.

‡ Pag. 24.

lulum aut nihil puris esse percipiendum. Post materiem primam emissam, sanies tenuis, ichorosa, albumini similis, et coagulato limo commista, continuò effluit. Hujus fœtor minimè tolerandus est. KORTUM materiæ naturam hisce verbis describit: "Humor effluens "initio quidem puris speciem refert, haud ta-"men benè concoctus est, sed tenuior ac in "phlegmone suppurata; albisque crassamen-"tulis mistus, vel lentus et grumosus. Ma-"teries quotidiè minùs purulenta evadit, sed "tenuis, aquosa, ichorosa cernitur *."

Ossa, si ulcus diu propè ea permanserit, morbi participia fiunt. Periosteum eroditur, et particulæ ossium corruptæ per cutis aperturas protruduntur. Tametsi morbus adhuc minimè molestus fuerit, omnia contigua jam excruciantur, nec levantur dolore, donec ossium lamellæ omninò ejectæ sunt; quod, nisi chirurgi auxilium adhibeatur, haud citò peragitur.

Quum

* KORT. *De Vitio Scrofuloso*, pag. 156.

Quum humor multùm diuque effluxit, æger admodum marcet; et artus, si hic solus afficitur, attenuatur, immò etiam in pueris crescentibus brevior altero fit.

In quibusdam exemplis vulnera per æstatem hiememque occluduntur, rursùs verò autumno et vere aperiuntur; aut per totum annum, vere excepto, benè se habent. Aliis autem exemplis semper suppurant. Morbus aliquot annos inveterascens, vi naturæ vincitur; vulnera sensim conglutinata fiunt, et ægrotus in solitam sanitatem restituitur. Aliquando tamen res minùs prosperè evadunt. Æger vel effusioni copiosæ et diuturnæ succumbit, et hecticâ febre, tabe lentâ et miserandâ conficitur; vel alii morbi, ex debilitate et ignava vitæ ratione non evitanda, enascuntur.

Sic varios status, in quibus scrofula reperitur, describere conati sumus.

Alia morbi species interdum apparet, (etsi

a

a compluribus negetur), quæ multùm a superioribus discrepat. Discrepat præcipuè in hoc, quod citissimè maturescit, et communi scrofulæ genere multò mollior est. Dominus RUSSEL exemplum tradit hujus generis, quod ei obvenit; magnus tumor super scapulam infantis per noctem crevisse conspectus est; et nutrice manè infantem investiente detectus. Tamen nutrici testi tumoris tam maturrimè crescendi haud credi oportet; nam hujus oscitatio priùs negligere potuit. Sed tumor similis, crastino diluculo, super alteram scapulam observatus est; quod priorem tam brevissimè intumuisse, corpore nocte superiore diligenter perspecto, procul dubio comprobat.

Restat alia articulorum majorum affectio, quæ à compluribus existimatur scrofula: nempè *hydarthrus* vel *articulorum fungus*, magna ex parte tamen à scrofula vera diversus. Fungus, ab inflammatione communi capsularis ligamenti artûs originem ducere videtur; et inflammatio plerumque contusione, luxatione,

vel

vel simili clade infertur. Calor, et dolor acutus exorientes, ut ex aliis corporis partibus valdè incensis, inflammationem indicant. Superficies ligamenti magnoperè inter se frictæ, dum membra muneribus funguntur, morbum augent: et lympha coagulata secernitur, qualem videmus in pulmonis inflammatione, per quam vasa ferentia speciem figuramque fungi vasculorum pleni, pullulant. Lympha posteà in pus convertitur. Unum hydarthri genus, secundum Dominum BENJAMINEM BELL, reverà ad strumam pertinet; sed ossium affectio est, et insanabile.

Alii morbi, quales phthisis pulmonalis, tabes mesenterica, et similes, ex constitutione strumosa oriri videntur. Inter hos autem et tumores externos, (quos in animo est tractare), quod ad speciem medendique rationem, multùm interest. Superiores itaque nominibus singulorum propriis notati sunt, nec locum in hocce conatu meo sibi vindicant. Stomachus, intestina, jecur, lien, renes, mesenterium, vesica

sica urinaria, testes, oculi, aures, ossa, musculi, textum cellulosum, cerebrumque ipsum, hæc omnia scrofulâ laborare existimata sunt. Penè omnis tumoris abscessûsque species, ubicunque sita, ab aliquo auctorum, habita est idem morbus variè modificatus: Cujus varietates describere, etiamve enumerare, modum hujus disceptationis præscriptum nimiùm exuperaret. Ne longum faciam, adeò diversè apparent tumores strumosi, ut omninò prudenti et perito medico concedendum sit, judicare, qualem medendi rationem singulis ægrotis adhiberet. De Haen *, describens varios hujusmodi tumores, sic sententiam edit: "Substan-"tia eorum diversa; diversa, quam contine-"ant materies, haud in variis duntaxat homi-"nibus, sed eodem etiam in homine et quidem "ita, ut in eodem corpore trium, quatuor, "quinque specierum variarum habeantur tu-"mores: quorum quandoque nullam vix ali-"quam

* Ratio Medendi, cap. xx. p. 127.

" quam curationem admittunt. In aliis non-
" nulli tumores ægrè, facilè alii, curentur : in
" nonnullis longo molimine sanentur omnes.
" Denique curatorum multi non rarò postli-
" miniò repullulent. Ex multis unam alte-
" ramve historiam descripsisse juvabit, et de
" eorum genio, naturaque, cuique constet."

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

MULTUM adhuc explorari superest, antequam proxima strumæ causa manifesta reddatur. Valdè discrepant sententiæ de ejus origine nuper et olim habitæ; quarum plurimæ, meræ conjecturæ sunt nequaquam confirmatæ. Mihi persuasum est, WISEMANNI acorem, vel GALENI materiem pituitariam æquè, ac fluidorum acrimoniam Doctoris CULLEN *, scrofulæ causam esse habendam; etsi Doctor CULLEN simul existimabat, acrimoniam ex systemate lymphatico malè constituto pendere. Tales conjecturæ nullam opem curationi præbent. Nec quædam aliæ opiniones,

* CULLEN'S *First Lines*, § 1750.

acri ingenio emicantes, plùs proficiunt. Dominus White contendit morbum, a lymphaticis vasibus viscidâ lymphâ obstructis derivari *. Atque Dominus Carlisle † sibi persuadet, scrofulam a lympha in locis infirmioribus deposita, esse deducendam; et mutua arteriarum absorbentiumque munera nonnihil impediri.

RATIO

* White *on Scrofula.*

† *Letter to* Dr Beddoes.—Beddoes *on Consumption,* 1799, pag. 72.

RATIO SYMPTOMATUM.

INEST ei strumæ generi, in tela cellulosa passim per corpus posito, moles spissæ materiæ, inclusa intra cellas membranæ, quæ fibris innumeris in variis locis contexta est. Quapropter, tumor crescens, formam rudem indigestamque induit; nec, post digitum impressum, resilit. Postquam aliquantum ampliatur, suppurare cœpit; deinde fibræ rumpuntur, pus in unum confluit, et fluctuatio percipi potest.

Materia intùs, primò mitissima est, nec ægrum dolore vexat, quamdiu suppuret: Vicinas autem partes sensim erodens, tandem viam per cutem aperit. Ulcus scrofulosum, inflammationem parùm incendit. Inde ejus labra pallent nitentque.

Materies

Materies initio effluens, plerumque est pus, inter suppurandum genitum. Hac autem emissâ et penè exhaustâ, illa, ulceri strumoso propria, deinde copiosior evadit.

Cùm tumor latiùs patet, pus procul ab ulceris ore creatum, et in cursu impeditum, alium petit exitum, suamque aperturam erodit. Hoc modo fistulæ formantur. Membrum quod morbus depascit, etiamque corpus universum, propter diuturnam effusionem, tabescit. Febris hectica, quæ ulcerosâ materie absorptâ induci putatur, vires ægroti conficit. Dolor vehemens, inter abjiciendas ossium lamellas, læsioni tribuendus est, illatæ mollibus morbidisque partibus, quas asperi et acuti lamellarum anguli fricant et irritant, priusquam ex ulce-

PRO-

PROPHYLAXIS.

Quum omni ex parte nescimus, quæ, corpus ad scrofulam propensum faciant, nec quibus artibus utamur, ut proximas causas pellamus; operam studiumque adhibere oportet, ad excitantes cognitas causas effugiendas, et ad venienti morbo occurrendum. Ut struma nunc ex corporis debilitate oriri existimatur, ita quodcunque corpus debile reddat, vitandum est; et nihil, quod constitutionem jam morbo proclivem reficiat roboretque, prætermittendum.

Hoc consilio, decet hominem infirmum, levi salubrique victui parcè sed sæpiùs indulgere. Exercitatio non nimia multùm ad sanítatem confert. Nihil, ad prosperam valetudinem conservandam,

servandam, præstantiùs jure habetur, quàm aër siccus et purus; quippe qui corpus roboret, exhalationem per cutem promoveat, cibi appetitum conciliet, et respirationi inserviat. Frigus depellendum est; et corpus, vestitu cœlo tempestatique accommodato, fovendum.

Balneum frigidum infantem roborabit; et corpus patiens algoris, sine ullo periculo, per reliquam ætatem, reddet. Sed si, propter alias res, in aquam gelidam descendere haud decebit, balneum tepidum æquè proficiet. Humor, a corpore lavato, diligenter detergendus est; cutisque aliquandiu leniter fricanda. Quoniam inoculatio vaccina, variolas feliciter fugare reperta est; forsitan æquè valebit, ineunte ætate, ad strumam arcendam. Denique, omnia universi corporis sanitati inimica, vitanda sunt.

RATIO

RATIO MEDENDI.

REMEDIUM scrofulæ, cui nonnulli medici plerumque confidunt, est vis naturæ insita; quæ persæpè, post omnia hominum irrita conata, vires ægroti confectas recreat. Idcircò hic morbus empiricorum arcas nummo implet, qui callidi, ad quæstum suum, populi stultitiam convertunt. Medicamenta compluria, olim magni pendebantur, et ob vim morbi medendi, longè latèque laudabantur. Ea enim ætate, qua natura ipsa plerumque vitium vincit, curatio prorsùs vafro tribuitur. Nihilominùs, nos decet, in omni arte firmandæ constitutionis, instrui atque versari.

Eadem cura cautioque, de victu, exercitatione et aëre, quæ memoravimus ad præcavendum

dum morbum pertinere, etiam ad medendum, adhibendæ sunt. Modicum vini poculum concedatur, cùm debilitas opprimit, et vires deficiunt. Horâ secundâ aut tertia ante prandium, cùm stomachus non cibo onustus nec distentus, vis stimulans vini plurimùm sentitur; appetitus acuitur; neque hebescemus languore, nec ardemus febriculâ, quibus, post epulas lautas, laboramus.

Remedia, nunc frequentissimè præscripta, ejus generis sunt, quæ *tonica* appellantur. In hoc tractu, Balneum gelidum, tonicum efficax, multùm et feliciter frequentatur. Nihil boni tamen, multis infirmis in quibusdam morbi gradibus, affert frigus. E contrario, obesse videtur. At facilè dignosci potest, utrùm prosit an obsit balneum; observando sive benè seu malè ægri sensui congruat. Si corpus ex aqua emergit tepidum, alacre et vegetum; si cibus flagitatur, tum

balneum

balneum saluti conducit. At si æger exit hebes, et languidus, diu alget, multùm tremit, et cibum fastidit, tunc balneum vitandum est. In hæc incommoda fortè incurritur, tantùm quia aqua nimis frigida est. Igitur eò usque calefiat, donec æger tolerare possit. Experimenta Domini MARCARD * satis demonstrant quantùm lavatio tepida infirmis proficiat, et quantùm, ad arteriarum pulsus moderandos valeat. Hic suadet ut balneum, gradu scalæ Fahrenheitianæ octogesimo quinto, vel nonagesimo sexto tenus, calefiat. Doctor DARWIN † quoque reperit, debiles post calidam lavationem meliùs se habere; statuitque aquæ temperiem, circiter gradum nonagesimum sextum vel nonagesimum octavum. Doc-

 tor

* Vide BEDDOES, *Essay on Consumption*, 1799, p. 204—221.

† Zoonomia, p. 684.

tor BEDDOES * dicit eos sibi confirmare, qui, balneo calido, diebus alternis, utebantur, plus vigoris et alacritatis, die lavandi, sensisse, quàm die altero, quo a lavando abstinuerunt. Jubebat, ut aqua fervens balneo injiciatur, gradu nonagesimo secundo vel nonagesimo sexto tenus; temperie nimirùm sensui maximè accommodata. Suadebat etiam infirmis, ut immergant inter jentandum et prandendum; quia id temporis, ora difficiliùs rubore suffunduntur, et noctu, sudor non tam effusè per artus manabit.

Aqua a chalybis vena profluens, aliæque hujusmodi, olim et nunc magnoperè commendantur, et ad vires exhaustas reficiendas adhibentur. At manifestum est è peritissimorum experimentis ex industria institutis, latices minerales nunquam morbum arcere. Doctor CULLEN asseverat, si tales saluti inserviunt, aquam per se ipsam plùs juvare, quàm materias

rias

* *On Consumption*, pag. 222.

rias alienas quas aqua tenet: quoque se benè compertum habuisse, aquam marinam, majori usui non esse ægrotis.

Utprimum sal appellatus *murias barytæ*, a Doctore CRAUFORD in medicina, adhibitus est, ob vim scrofulæ medendæ, magni æstimatus. Sed ex periculis aliorum recentioribus, fama salis pristina delapsa est. Doctor FERRIER affirmat, se nihil aut boni aut mali hoc medicamento effectum cernere posse. Tamen vix potest, quin error aliquis in modum parandi vel administrandi remedii, irrepsisset. Nemini enim latet, mala deterrima a nimiis medicamenti portionibus provenire; sicut nauseam, vomitionem, diarrhœam, vertiginem, et ipsam mortem. Si Doctor FERRIER fortè uteretur communi pro stillata aquâ, verisimile est, mutationem chemicam, antequam sal ægris datus est, incidere. Putà acidum sulphuricum, quod aqua communis nonnunquam continet.—Portio solutionis sale saturatæ primò administranda, haud quinque vel decem guttis supersit. Has

Has dare juvabit, bis aut ter per diem. Posteà augeatur dosis sensim cautèque, tantùm citra lassitudinem.

Medicamentum hodie appellatum *murias calcis*, diu peregrè pervulgatum et jactatum est, priusquam civibus nostris administraretur. Hic æquè ac sal superior ægroto proficit. Per hunc, Doctor BEDDOES tumores mesentericos feliciter dimovit; et glandulas salivarias ac lymphaticas pristinæ sanitati restituit *. Portio quinque vel decem guttarum, ter quaterve per diem, aliquandiu præbenda est; et posteà augenda ad duas drachmas.

Corticem Peruvianum, aliud tonicum magni pensum, diuque efficax ad vires corporis firmandas, nunquam negligi oportet.

Cavendum

* BEDDOES *on Consumption*, 1801, p. 256.

Cavendum assiduè, ut excretiones nulla ex parte cohibeantur, aut nimium excitentur: Alioquin, debilitas ingravescet, et remedia tonica frustrà adhibebuntur.

Plurima, ad partem affectam, externè admota sunt, quæ tumores reprimerent vel resolverent. Nulla tamen utilia (quantùm scio) reperta fuerunt. Solutio acetitis plumbi, vel aqua frigida, sola, modicè in tumorem compressa, prodesse potest; impediendo vel omninò prohibendo inflammationem, atque promovendo absorptionem.

Fomenta et cataplasmata nocent, quia augent suppurationem, quæ nunquam acceleranda. Hìc scalpellum quàm rarissimè tractandum est. Juvabit fonticulos, tumoribus aut ulceribus vicinos, aperiri, ut humor, dummodo aliæ res non prohibeant, a locis circumjacentibus divertatur. Fonticulo profluente, necesse est, ut curationes quam simplicissimæ

sint;

sint; tantùm caveatur, ne aëri externo aditus pateat. Tumor, fasciis unguento viscoso oblitis, arctèque alligatis, leniter comprimendus. Posteà fasciæ lineæ, gelidâ aquâ madefactæ, insuper obducendæ sunt.

FINIS.